

fundamento dici. Nam (1.) apud Aristotelem ἐντελέχεια non denotat solam formam substantialem, sed quicquid perfecti habitus nomine venire potest, adeoque etiam formæ accidentales perfectæ & imperfectæ ita vocantur. (2) quia nulla apparet ratio, quæ svadeat ita esse entelechiã restringendam, cum etiam formæ accidentales aliæ se ut scientia habeant, & aliæ ut ἡ θεωρεῖν. Sic v. gr. habitus & operatio, ab habitu profecta.

§. 22.

Alii sunt, quos etiam sequitur B. Scheiblerus l. Met. c. 14. tit. 4. art. 2. punct. 2. p. m. 308. qui dicunt, actum primum esse formam, ad quam consequitur, aut consequi potest operatio. Actum secundum verò dicunt ipsam operationem. Sed horum sententia quoad explanationem actus primi aliis displicet, quod putent dari etiam formas, ad quas nulla operatio consequi possit, adeoque hanc actus primi descriptionem descripto suo angustiore arbitrabuntur. Vid. inter alios Ampliss. Dn. Petrum Musæum Instit. Metaph. c. 9. §. 18. p. m. 37.

§. 23.

Averroës à B. Stahlio Instit. Metaph. c. 9. n. 3. p. III. refertur hanc distinctionem ita explicare, quod actus primus & secundus sint eadem forma, quæ dicatur Actus primus, quando non operatur, sive ab operatione quiescit, eademque forma dicatur Actus secundus, quando operatur. Quæ si Averrois sententia fuerit, & ipse à naturâ actus secundi operationem, sive formam realiter distinctam à forma operationis principiatiivâ, simpliciter exclusum iverit, plane non est admittenda. Nam si v. g. Averroës id voluit, quod ipsa contemplatio, in quantum est actus ab intellectu elicitus, adeoque forma accidentalis,